


Æ S O P I, Philosophice Fabulantis V I T A.

 Ulti, & magni Nominis, viri, rerum humanarum Naturam affecuti sunt, & Posteritati commendarunt, *Æsopus* verò, non sine Numine, videtur multis parasangis superasse omnes in eâ Philosophiæ parte quæ ad *Ethicam*, seu moralem disciplinam, pertinet; nam neque definiendo, nec ratiocinando secundum Aristotolem, neque ex Historiâ admonendo, secundum Socratem, & Platonem, sed fabulis prorsus erudiendo, pro statu illius temporis, sic audientium animos aucupatus est, ut pudeat homines ratione præditos facere, aut sentire quidem, quæ bruta animalia deliberatè evitasse finguntur, ex quibus aliqua, pericula imminencia diverterant, altera maximam utilitatem opportunè consecuta sunt. *Æsopus* igitur, qui vitam suam, Idæam Reipublicæ Philosophicæ constituerat, & qui rebus, magis quàm verbis, Philosophum egit, Natione fuit Phryx, ex Ammorio oppido Phrygiæ cognomento Magnæ sed Conditione fuit servus: Quàm pulchrè igitur & quàm verè fuit illud Platonis Dictum, in suo Gorgia, *Plerumque inter se sunt contraria, Lex & Natura.*

Æsopi animum Natura liberum præstabat, sed Fortunæ lex in servitum tradidit; At ne sic quidem Animi libertatem potuit corrumpere, sed quamvis ad res varias, & ad incerta loca, corpus transfulerat, à propriâ tamen sede animum movere non potuit. *Æsopus* enim non solum servus fuit, sed & omnium hominum, in ætate quâ degebat, deformosissimus, nam obstipio fuit & acuto capite, depressis naribus, collo reclivi, labris prominentibus, colore niger, unde & nomen adeptus est (Idem enim *Æsopus* significat quod *Æthiops*; præterea ventrosus fuit, valgus, & incurvus, forsitan & *Thersiten* in Homero turpitudine formæ superavit; sed quod pessimum omnium in eo fuit tardiloquentia, & vox blæsa, & inarticulata, Quæ omnia videntur servitutem *Æsopo* destinasse; mirum etenim fuisset si tam inhabili & indecenti corpore servitutis jugum aufugere potuisset: sed quamvis corpore tali, animo solertissimo natura extitit, & ad omne figmentum sælicissimus.

Magister ipsius, tanquam ad nullum domesticum opus utilem, ad fodiendum in agris emisit; *Æsopus* egressus alacriter operi incumbere, profecto ad agros Hero, ut laborantes observaret, unus ex agricolis egregias ex arbore decreptas ficus donavit: Ille verò fructus delectatus pulchritudinæ *Agathopo* Ministro (hoc enim erat Pueri, nomen) transferri jussit, ut sibi a balneo reverenti apponeret: Quùm verò sic evenisset, ut *Æsopus* ob quandam necessitatem Heri Domum ingrederetur, *Agathopus* occasione captâ consilium tale confervo cuidam obtulit, *Impleamur*, dixit, *si placeat, ficibus, ac si Herus noster forsitan requisierit, nos contra Æsopum testes erimus, quod, in Domum ingressus, ficus clam comederit, & huic figmento multa alia mendacia superstruemus; Nihil, crede mihi, unus ad duos valebit, præsertim quùm sine ullis probationibus quicquam diducere conabitur.*

Hoc consilio inito, ad opus accesserunt, & ficus devorantes, dicebant singuli cum risu, *Va tibi infelix Æsope!* Quùm igitur Herus à Balneo rediisset, & ficus petiisset, audivissetque quod *Æsopus* eas comederat, itâ excandescens *Æsopum* ad se vocari